



Albertus natus est in Saxonía ex illustri fami-
 lia Mansfeldicorum. Erat is à parentibus hon-
 estè educatus, & multis uirtutibus institutus. Vn-
 de in uirum clarissimum euasit. Accedebat & rei
 bellicæ peritiã, atque religionis ingens studium. I-
 taque cum bellum Germanicum Anno millesimo
 quingentesimo quadragésimo sexto esset exortũ,
 ipse cum filijs Ioanne & Volrato Saxoníæ Electro
 ri adfuit, et multa indicia suę fortitudinis exhibuit.
 Postea uerò ob intestinum principum Saxoníæ
 bellum domum redijt, atq; sese Bremēsis & ma-
 ritimis ciuitatibus coniunxit. Eo tempore Ericus
 Brunswicensis & Vrisberus Cæsaris nomine in hīs
 locis bellum gerebant. Hos Albertus cum socijs aggressus, uigesima secunda
 Maij, Anno millesimo quingentesimo quadragésimo septimo uicit, & in su-
 gam conuertit. Interea Elector captus cum Cæsare transegit. Id cum Alber-
 tus cognouisset, copias suas dimisit, atq; se Magdeburgum contulit. Cum is
 in Iohannis Friderici amicitia perseverasset, à Cæsare omnibus facultatibus ex-
 xutus, nec tamen proscrip̄tus fuit. Itaq; cum postea urbs Magdeburgum pro-
 scriberetur, atq; obsidione premeretur, Albertus præsidiariorum dux factus,
 eam urbem magna omnium admiratione contra fortissimos hostes defendit,
 & sibi magnum nomen comparauit. sicq; factum, ut tandem à Cæsare in gra-
 tiam recepta fuerit. Cum etiam postea Mautitius cum confœderatis Cæsari
 bellum mouisset, atq; tandem Passauj cum eo pacem honestis cõditionibus
 sanxisset, etiam Albertus transegit, atq; in bonorum possessionem restitutus
 fuit. Vnde ob rem præclarè Magdeburgi gestam apud Germanos deinde in
 magna existimatione cum suis filijs extitit. Ioan. Sleid.